

DE
ANGINA POLYPOSA.

DISSERTATIO.

Gujus Partem Tertiam;

APPROBANTE EXP. FAC. MED. ABOËNS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,
*Pbil. & Med. Doctor, Adjunct. Ord. & Anatomiae Pro-
sector, nec non Cancellista Imper. Coll. Med. Fennic.*


ET

ANDREAS CHRISTIANUS HACKZELL,
*Stipend. Publ.
Wiburgenses.*

In Audit. Medico die XV Dec. MDCCCXIX.

b. p. m. s.

ABOÆ, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL.



morbosæ affectiones, confunditur. Criteriis suis minus fallacibus a nostro morbo hædū ita multo distinguuntur negotio.

Ubi vero perigrina corpora Asperæ Arteriæ illabuntur, symptomata provenient iis, quæ in nostro morbo observantur, mirandum in modum similia. Sonus stridulus idem est. Cui vero prægresta innotuerunt, aut insignis in Trachea obvenit dolor 53), non facile is decipitur.

Cadaverum inspectio & perlustratio, cui Ars medica tantum lucis & semper debuit & nullo non tempore debet, — quapropter undique & semper, post morbos quoque minus inusitatos institui deberent, — nostro quoque morbo clariorem sparserunt lucem. His enim demonstratum est, & extra dubitationis aleam positum, non Laryngem solum, sed Asperam etiam Arteriam, ejusque ramos Angina affici Polyposa, esseque heterogenea magis minusve repleta materie, quod ad indolem & naturam, massamque attinet & quantitatem, divers. Si brevis est morbus, citoque mors sequitur, heterogeneam materiem in Larynge solum & superiori Asperæ Arteriæ parte offendit voluerunt. Si vero durat morbus, longiorque est, & hominem serius tollit, Tracheam plerumque ejusque ramos & ramos materie plena observarunt 54); & quidem Bronchia eo magis, quo serius mors instat,

E 2

Con-

53) Summo jure Cel. Michaëlis (l. c. pag. 131) suadet ad dolorem in Trachea attendere. Hic enim optime ostendit, utrum illapsum sit perigrinum corpus, an adsit Polyposa Angina.

54) cfr. ROYER COLLARD, Abhandlung ueber den Croup. Hanover 1814, pag. 54, 55. Quod ex his, ut Celeberrimus ille, & de Angina

Concretio illa polyposa veram s^epe format membranam, quæ faciei Asperæ Arteriæ internæ adposita, huic magis minusve adhæret. Quod locum, ubi inseritur & indolem ejus attinet atque rationem, diversa omnino est, diversis in cadaveribus. Obyenit enim aut in Larynge solum 55), aut solum in Aspera Arteria, & quidem ibi non uno loco semper 56), aut in Larynge & Aspera Arteria simul 57), aut insimul in Larynge, Trachea & Bronchiis 58). Offenditur autem plerumque in superiori Tracheæ parte, ubi canalem s^epe ita coarctat, ut fistulæ lumen

Polyposa longe meritissimus J. A. ALBERS statuit, sequeretur, sub rapido morbi cursu Laryngem primarie semper affici, sub longiore vero cursu Tracheam proprie sic dictam primo vexari, deinde morbum & Laryngem & Bronchiam adgredi, nobis non ita videtur liquidum. Ostendere id nobis protius videtur, Laryngem magis & præ cæteris partibus affici, cum acutior morbus est, Tracheam vero & Bronchia tum præcipue affligi, cum longiores circuitus facit.

- 55) Vide KAPP, Systematische Darstellung der durch die neuere Chemie in der Heilkunde bewirkten Veränderungen 1805, pag. 228, 229. -- HOME I. c. Obs. VII. pag. 21, 22. Obs. XII. pag. 30. -- LENTIN, I. c. B. I. pag. 343. obs. 8. -- KRETSCHMAR in Horns Archiv für Medicinische Erfahrung I. B. 3 H. pag. 347.
- 56) cfr. FISCHER, Anleitung Zur Armen Praxis. Goetting. 1799, pag. 358, 359. -- BARD, in Richters Chirurgische Bibliothek 5 B. pag. 744. -- MICHAËLIS, I. c. pag. 57. -- HOME, I. c. Obs. V. pag. 18. Obs. X. pag. 27.
- 57) cfr. BAYLEY, Cases of the Angina trachealis, in Sammlungen auferlesener Abhandlungen für praktische Aerzte, 7 B. pag. 228. -- LENTIN, I. c. I. B. 7. Obs. pag. 342.
- 58) HUNTER in musco suo membranam habuit, quæ aperte ostendit, eam Laryngem, Asperam Arteriam minoresque ejus rameos obducisse. (vide TOWNSEENDS medicinische Praxis I. B. pag. 104).

men calamum vix supereret scriptorium. Quo vero altius descendit, eo tenuior evadit & magis rarescit. Ubi in ramos Trachea abit, ibi canalis masto magis impletur spisa & subalbida, ultimos ramulos quoque occupante 59). Est vero hæc concretio partim tubulata, formamque ipsius Tracheæ & Bronchiorum perfecte refert 60), partim frustula membranacea, partim polypos format 61). Quod consistentiam attinet, nunc fragilis est, nunc tractuola ita & tenax, ut sine ruptura e suo loco posit tuta quanta trahendo removi 62). Facies, quæ Tracheæ adjacet striis tam per longitudinem quam transversim obsita est, externa vero facies glabra 63). VON BERGEN & MICHAËLIS Vasa quoque Sanguifera in ipsa membrana observarunt 64. Cum inti-

59) cfr. JONAS in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde. 20 B. St. I. pag. 147.

Videbat Cel. HARLES Tracheam ejusmodi membrana ita repleri, ut mox infra Laryngem amputata diametrum ostenderet pennæ corvinæ, anserinæ vero paullo inferius; Larynge autem ita coarctato, ut ipsa Glottidis rima aperturam offerret admodum parvam, acus capitulum magnitudine haud superantem. Qui hæc obtulit, morbus per unam tantummodo & triginta horas duraverat. (cfr. Hufeland, Journal der praktischen Heilkunde, 6 B. pag. 580 sq.

60) cfr. GHISI, Lettere Mediche. Cremon. 1749, pag. 274. — HOPFF, Abhandlung über den Croup dessen Natur und sicherste Heilmethode. Hanau 1808, pag. 12. — JONAS, l. c. pag. 145.

61) cfr. HARLES in Hufelands Journal, 6 B. pag. 581.

62) cfr. MICHAËLIS, in Richters Chirurgische Bibliothek 6 B. pag. 124. — RUMSEY, in Journal der Ausländischen Medicinischen Literatur. 1 B. I St. pag. 170. — HOMS, l. c. Obs. VIII. & X.

63) cfr. HOPFF, l. c. pag. 11, 12.

64) Vide SACHSE, das wissenswürdigste über die häutige Bräune. Lybeck 1810, pag. 78.

intima Laryngis tunica, ut interdum vidimus, membranam hancce retinacula conjungunt, quæ membranularum indolem haud inepte mentiuntur. Membranam inter & faciem Tracheæ internam fluida vulgo cernitur massa 65). Hæc membrana, licet admodum frequens, præsertim cum magis increscit morbus neque interveniente apta medela cito frangitur, non tamen semper adest, neque ita necessaria, ut morbus, absente illa, existere nequeat 66). Exsudata enim materies, priusquam in membranam abit, horrenda hujuscem morbi symptomata provocare potest omnia. Remota membrana, ubi adest, aut ablata materie exsudata, membrana ipsa Tracheæ interna subrubicunda est, & signa præviaæ inflammationis præ se fert:

Quod ad partes constituentes attinet, concretio polyposa nondum exacte est explorata. Cel. ALBERS fecerat hanc materiam, coagulabilem esse putat lympham, cuius spissitudo & densitas a ratione penderet, qua sanguifera vasa in diversis hominibus inflammatione afficerentur 67). WIEUSSEUX coagulatum albumen, MURRAY & ROSENSTEIN mucum, VON HALLER mucum sero admixtum, MICHAËLIS lympham esse statuit. TRAFVENFELT ejusdem esse

65) cfr. ESCHENMAYER, die Epidemie der Croup zu Kirchheim in Königreich Württemburg in den Jahren 1807, 08, o. g. u. 1810.

66) Ait Cel. CHEYNE, (The Pathology of the membrane of the Larynx and Bronchia) Is woud be observed however, that the adventitious membrane is not a necessary part of the disease. I have added a case, where the membrane, if it could bi so called, was not more than a few detached crusts on a hingly.

67) Vide JURINE, Abhandlung ueber den Croup, übersetzt von Dr. Phil. Heineken, mit Anmerkungen herausgegeben von Dr. J. A. Albers. Leipzig 1816, pag. 233, Not. 176.

esse naturæ putat, atque materia sanguinis fibrosa. Futuræ accurate & sollicite institutæ chemicæ investigationes veram ejus naturam & indolem aliquando forsitan declarabunt. Vero haud esse videtur dissimile, vasa sanguifera minima, sub inflammatione, in tunicam, qua Laryngem, Aſperam Arteriam & Bronchia natura interne veltivit, exudare sanguinis serum, materiemque fibrofam, quæ in ſero, quamdiu in vasis circumagit, ſanguis, fluida & ſoluta manet, aëris per respirationem contactu in coagulum abire, membranamque formare magis magisque crassifcentem. Cum vero ipsa illa vasa minima, quæ Cryptis Muciferis infertur, quorumque ex actione muci formatione pendet, ubi inflammatione Tracheam occupat, non pungunt, quin morboſe afficiantur 68), fieri omnino posse videtur, ut mucus magis minusve mutatus, ſero exſudato admisceatur, ideoque membranæ naturam aliter atque aliter conſtituat. Sed ſuſpicamur tantum; in re tam obſcura nil pro certo statuere possumus.

Organa, quæ glutiendo interviunt, morbo vexari vix videntur, licet glutire anxie evitant ægrotantes. Glutire enim nolunt, quia ejusmodi effugere optant omnia, quæ spiritum, jam aggravatum, magis molestant, aut plane intercludunt, aut quæ tuffin excitant. Interdum quidem in fauibus rubor appetet & tumor, sed pendet hoc magis ab implicatione aliarum affectionum morboſarum, quam ab Angina Polypofa.

Cele-

68) Muciferas quoque Cryptas inflammatione affici, vel ex eo potest intelligi, quod, cum inflammatione Aſpera Arteria corripitur, ductus earum excretorii, exigui licet admodum, oculis non armatis ſemet offerant, tamquam minuta puncta, quæ membranæ mucosæ rubricula infident.

Celeberrimi GHISI, HOME, MICHAËLIS, LENTIN, ALBERS, MARCUS, aliquique haud pauci, doloris quid in Tracheæ superiori parte, tumoremque observata voluerunt. Alii vero, qui Anginam viderunt Polyposam, & dolorem negant & tumorem. Dolorem autem ardentem velle observatum, ut GHISI 69, aut obtusum ut HOME 70) et AUTENRIETH 71) nimiam redolet in observando subtilitatem. Subtiliter quoque nimis Cel. GUTFELD observassæ videtur, cum dolorem mox supra Tracheæ bifurcationem dicit se comperisse 72). Nos tumorem nunquam vidimus, neque ansam habuimus doloris fulpicandi cujusdam. Hoc forsitan, quia ægrotantes nostri fere omnes, numero duo & quadraginta, teneræ fuerunt ætatis, vix ideoque, ubi locorum ineslet dolor, sibi & aliis declarare potuerunt. Cariissimus filius noster, qui quartum jam ætatis annum mox complet, & intra tres primos annos Angina Polyposa quater laborabat, exterritus e somno, — invasit enim morbus media semper nocte — clamansque manus quidem collo subito admovebat, partemque externam, quæ Laryngi respondet, fricabat, sed non potuimus tamen de eo fieri certiores, quod vere adfuerit dolor; spasmus potius, fidelem illum inflammationis comitem, hæc, aëris viam coarctando, provocasse putamus phænomena. Quod si yagiunt infantes, cum tussis subvenit, aut cum anterior

69) vide GHISI, l. c. pag. 273.

70) vide HOME, l. c. pag. 16, 19.

71) vide AUTENRIETH, Versuche für die praktische Heilkunde, aus den klinischen Anstalten von Tübingen. Tübingen 1807. I B. pag. 202.

72) vide GUTFELD, in Horns Archiv für Medicinische Erfahrung. 2 B., I H. pag. 79.

rior colli pars, digito admoto premitur, id quod frequenter accidit, nihil id monstrat aliud, quam timere infantes omnia, quæ respirationem horrendum in modum jam ingravatam, magis impedian. At adulti, quos Angina Polyposa invadit, dolorem interdum circa Laryngem conqueruntur 73). Verum quidem At ostendit id solummodo, dolorem in adjacentibus cartibus adesse posse, ubi Angina adest. Mirum tamen est, dolorem in Larynge vix aut ne vix quidem sentiri, cum Larynge nervorum ramuli ita sint intexti, aliæque partes, quo magis inflammatioe corripiantur, eo doleant plerumque vehementius. Neque tumor est perpetuus. Cel. SACHSE 74) apud novem ægrotantes tumorem distincte vidit. Erat hic tumor fere circumscriptus, avellanæ nucleo, quod ad magnitudinem, similis, mollis plerumque, parum eminens. In cæteris vero ex octo & triginta hoc morbo laborantibus nullo modo tumorem detegere potuit.

Utrum morbus remittat, nec ne, inter medicos minus constat. Sunt, qui contendant, accessiones nunc graviter urgere, nunc ægr. s, interveniente temporis paullo momento, ab omni fere ingrauescenis morbi sensu liberos, solitis suis hilariter interesse negotiis WAHLBOM, SALOMON, MICHAËLIS, GUTFED ita 75). Quid? quod non remissiones modo, sed veras intermissiones habere MICHAËLIS perhibet 76). Alii vero morbum tam cito ingravescere

F

velcere

73) cfr. SACHSE, l. c. pag. 29.

74) cfr. SACHSE, l. c. pag. 34.

75) vid. SACHSE, l. c. pag. 101.

76) cfr. MICHAËLIS, l. c. pag. 81.

vescere viderunt, ut sineulla remissione paucas intra horas strangularet. Sic MAERKER 77), sic ALBERS 78). Neque nos fugit, ægrotantes, interveniente medela, melius interdum ita se habere, ut ab omni jam periculo liberatos putares eosdem vero ipsos, morbi adacta vi obrutus, cito stangulari. Accidit id quoque, licet medicamentorum nihil adhibeatur; id quod spasmus fere est tribendum, aut tussi, quæ exsudatam materiem, spiritum impeditentem, pro tempore aufert. Subito & ex improviso, ut nos observavimus, Angina Polyposa existit, & sine intermissione increscit magis magisque, donec judicatur. Et absolvitur quidem brevi tempore, quippe regulatim acuta est, licet & interdum longa fuerit, chronicumque habuerit cursum 79).

Infantes præ cæteris Angina Polyposa invadit, raro vero admodum primos circa vitæ menes, sèpissime primum inter & septimum annum, septimum vero inter & duodecimum minus sèpe, ac raro admodum post id temporis obvenit. Nonnunquam adultos, quin etiam ætate proiectiores adgressus est morbus 80). Pueros vero morbo magis esse obnoxios quam puellæ, ut volunt nonnulli, non est experientia testatum. E contrario novimus nos familiam, in qua ex quatuor pueris & tres puellis, puer unicus morbum habuit, idque una tantum vice, puellæ

77) vid. MAERKER, in Hufelands Journal. 19 B. 3 St.

78) cfr. J. A. ALBERS, Amerikanische Annalen. St. 2. pag. 46.

79) cfr. SACHSE, l. c. pag. 108.

80) vid. HUFELANDS Journal der praktischen Heilkunde. 9 B. 2 St. pag. 180, sqq. & 20 B. 1 St. pag. 143. sqq.

puellæ vero duæ, altera quater, quinques altera morbo laboravere.

Invadit ut plurimum nocturno tempore. Qui vespero somno semet dederunt vegeti infantes & bene valentes, aut quibus ad summum symptomata, quæ Catarrhum vulgo comitantur, minoris vero momenti, fuerunt, id quod magis est vulgare, perterriti ii & clamantes, media fere nocte, somno exergifiunt, & rauco suo & stridulo vagito indicant, qui horridus hospes in limine non vocatus fistat.

Est morbus plerumque Epidemicus, sæpe tamen Sporadicus, & certis in locis, humidis potissimum & ad maritimas oras jacentibus, ita frequens & vulgaris, ut fere Endemium putet. Sic frequens nimis in nostra urbe occurrat, cum e contrario in cæteris Finlandiæ partibus vix est observatus. In Ostrobotnia, Savolaxia, Carelia, Nylandia & in Tavastia, excepta urbe Tavastebus — ubi his nuperrime præterlapsis annis morbus obvenit — Angina Polyposa, quantum nobis innotuit, adhuc inaudita est.

Neque in locis, ubi adest, semper fuit æque frequens. Apud nos haud supra vicesimum annum cognitam fuisse constat. Pendet quidem Angina Polyposa a Climate, & inter climaticos, quos vocant, morbos merito refertur. Sed non ejusmodi solum morbi, qui ab hominum ritibus moribusque, mutabilibus illis & variantibus pendent, verum etiam qui Atmosphæræ influxui ortum debent, vicissitudinibus obnoxii cum temporibus mutantur, & populos inter diversos, diverse variant. Coecus omnino est, nec Naturæ legum admodum peritus, qui non intelligit, ipsum clima tam ex eis mutationibus, quas hominis labor & ope-

& opera, silvis excidendis, paludibus siccandis, agris exarandis, afferunt, quam ex illis, quæ ortum suum reciprocae illi, quæ inest naturæ rebus omnibus in se invicem actioni debent, mutari. Minus ideoque nobis hac in re placet celiberrimus Marcus, ingenium illud acre & sagax, contendens Anginam Polyposam semper eis in locis existere, ubi e caussis pro genisi ejus necessariis semel extiterit 81).

Contagiosum esse morbum, ut voluerunt ROSENSTEIN 82), & GOELIS 83), non est probatum. Plurima e contrario exempla comprobare videntur, morbum Contagio minime propagari 84). MARCUS, quale in affectionibus a Catarrho

81) vid. MARCUS ueber die Natur und Behandlungsart der häütigen Braüne, Bamberg 1810, pag. 36. Alle, eit MARCUS, durch die Einwirkung des Atmosphäre generirte Krankheitsformen, besitzen den Carakter der Beständigkeit, da die Atmosphärischen, Klimatischen Verhältnisse an feste, unveränderbare Gesetze der Natur gebunden, unverändert in allen Ländern, Zeitaltern fort bestehen. Der Croup gehört aber Zu jenen Krankheiten, welche durch bestimmte Einwirkungen der Atmosphäre erzeugt werden. Hieraus lässt es sich demnach begreifen, dass diese Krankheitsform auch ewig, den unveränderbaren Gesetzen der Atmosphäre zu Folge da ans Licht getreten seyn müsse, wo ihre Bedingungen gegeben waren.

82) vid. ROSENSTEIN, Ueber kinderkrankheiten 1774, pag. 596.

83) vid. L. A. GÖLIS, Warnung vor der häütigen Braüne, für Mutter, Wien 1807, pag. 6.

84) Vidimus nos tres inter infantes, iisdem parentibus natos, puellam die 28 Octobris 1815 morbo correptam, sanam vero jam die 6 subsequentis Novembbris, puerorumque alterum die 17 Novembbris morbo invasum, liberatumque eundem die 20 ejusdem mensis, alterum vero a morbo plane liberum; & degebet omnes non in eodem serum hypocauto, sed invicem etiam colludebant.